



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Ethicè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Plato monuisse fertur, *Ξενόκρατες*, *ἑὸν τὰς ἡδέρας*, Xenocrates *sacrificia Gratiis*. Laërtius. Is ipse, de Zenone philosopho narrat, eum, cum naturâ asper, intractabilis, & morosus esset, nec tamen morbum suum amaret (quod contra plerique faciunt) quò illum expelleret, vinum moderatè bibisse, atque ita placidum & commodum evasisse. Ajebat enim, similem se esse lupinis: (est amarum genus leguminis) illos quippe, priusquam macerarentur, acerbos, maceratos verò dulces reddi. Ut adeò non solum in vino veritas, sed etiam humanitas insit.

Hic tamen observa, non omnibus, etiam volentibus, licere esse *Gratiarum pullos*. Multis natura severior & tristior obnuntiat. Et molosso Britannico ne speres catellam Melitensem, blandum & gratiosum; qualem, ut in fabellis est, viderat asellus assilientem hero, eique adulantem, & inter eius brachia, atque in sinu iudentem. Statuit hoc visò, pecus aurita, clitellarum dudum pertœsa, eundem in modum delicias facere hero suo. Igitur fortè revenienti domum, obviam procurrere, subsillire, pulsare pectus unguis, & favorem herilem eblandiri. Malè cesserunt blandimenta; nam exclamante hero, accurrerunt servi, & ineptam bestiam, quæ se tamen urbanam credebat & gratiosulam, malè mulctatam fustibus, abegerunt. Ita est. *Nihil asinus ad lyram; nihil ad Gratiarum hortos allium & cepæ; foetent.*

SYMBOLVM LXXXVII.

Venus amorum dea.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Curus Veneris quid significet.
2. Veneris poma.
3. Pulchritudinis potentia.
4. Veneris corollæ, speculum, rosæ.
4. Cingulum.
6. Supellex, antrum.
7. Ejus delictum *Adonis*.
8. Veneris familia.

I Ove nata, ab antiquis amorum, gratiarum, pulchritudinis, delictiarum, voluptatum habita est dea, ita dicta, quod ad omnes res veniat, ut auctor est Cicero lib. 2. de nat. deor. Poëtæ eam ex spumâ maris ortam fuisse fabulantur, unde ipsam *Aphroditem*, *παρὰ τῆ ἀφροῦ*

ἀφῆσθαι à spuma appellârunt. Alii malunt etymon ejus ducere ἀπὸ τῆς ἀφῆσθαι, ab insanire. Hinc fingitur ardentem pectore facem gestans, quam amantibus infigit, eosque furiat. Platoni dicta est à ve, sine, quæ fuit priscis particula privativa & ὄψις, mente; sicut *Vecors* sine corde; *vesanus*, carens sanitate mentis. Varro lib. 4. de ling. Lat. Venus, inquit, dicitur, non quòd vincere velit, sed *vincire* & *vinciri* ipsa. Nam viere est vincere. Etiam cognominata est *Libitina* seu funeralis, quòd præesset mortuorum feretris & sepulcris, & in ejus templo venderentur ac locarentur, quæ ad sepulturam pertinent, teste Plutarch. in problem. Nam Venus vires enervat, animum corrumpit, immaturam mortem accelerat. Hinc quidam Philosophus *Libidinem* vocavit, *parvam epilepsiam*. Et Alexander M. cum DEUS à multis predicaretur, se, quòd mortalis esset, deprehendere dicebat somno & concubitu; Somnus enim mortis imago: concubitus species est morbi comitialis Plut. in Alex. E mari orta fingitur. Nimirum ut in mari, sic in amore, nihil nisi amari inest. Deinde, ut qui illam sectantur, in mari se versari sciant, perturbationum procellis, cupiditatumque turbinibus semper agitato. In quo, quantæ jacturæ bonorum, quot naufragia fiant, non rei modo familiaris, sed ipsius etiam rationis, atque judicii, cæcus est, quisquis non videt.

Ethica.

I. (a) Currui insidet pulchra Venus & quasi de subactis hominibus triumphum agit post confecta bella, quæ gerit non tam armorum, quàm amorum vi. Illecebris quippe grassatur, non insidiis: lenociniis non tormentis: Veneribus, non vulneribus; nec faces mittit alias, quàm quas accendit amor: & sagittæ, quas ad cor adigit, non aliunde, quàm ab arcu oculorum veniunt. Quid autem mirum, si eo modo dimicans, hostem benevolum non in fugam vertit, sed in amplexum. Currum hunc juxta quosdam trahunt *Cygni*: quòd musica amorem conciliet, & blandum venenum per aures infundat. Alii *Columbas* ei jungunt: nam hæ aves, juxta Plinium, frequentant coitum: osculo prævio complexus ordiuntur, & singulis propè mensibus concipiunt. Unde *Semiramis* libidinofissima regina Ægyptiorum, ab iisdem sub *Columbæ* specie culta fuit: imò in columbam migrasse credita. Ovid. Metam. lib. 4. hinc in militaribus signis *Columbas* præferebat; sub quibus

(a) *Currus Veneris quid significet,*

bus hodiè que centuriantur, quibuscunque vilia sunt pudoris pericula. *Aspasia* tenuis fortunæ, sed præstantissimæ formæ puella (quod *Ælianus* refert) quod *Veneris* beneficio in *Cyri*, *Darii* filii, amicitiam se insinuasset, Deæ simulacrum fieri curavit, juxta quod *Columbam* gemmis picturatum collocavit. Pretiosum in re turpi monumentum. Tanti constant hæc sacra. Alii *passeres*, *Cypridis* vehiculo subjugant, impares utique tam potenti Numini jugales, nisi summa levitas inesset huic deæ, & maxima salacitas his volucris, ideòque brevis vita, quam *Plin.* lib. 10. c. 36. mari ultra annum non indulget: feminæ aliquantò longiorem concedit. Nimirum quod *Tertullianus* ait, *Libidinum sunt vaporata momenta.* Caduco laborant morbo *passeres*: non minus libidinosi; quod supra diximus. *Ovidius* 2. *Fastor.* fabulatur, *Venerem* cum *Cupidine* etiam à *Piscibus* vehi: cum enim instantem *Tiphœum* gigantem fugeret, trans *Euphratem* evasit horum ministerio.

Utque sinu natum tenuit, succurrite *Nymphæ*

Et diis auxilium ferte duobus ait.

Profluatque *Triton*; *Pisces* subiere *Gemelli*,

Pro quo nunc cernis sidera nomen habent.

Hæc *Ovidius*. Ethicè sic habe:

Cur pecus æquoreum fluvialia frigora linquit?

Ætheris in medio fusilis igne natat?

An quia caluere tuo gelidi de numine *Pisces*,

Blanda *Venus*, jussum cum subiere jugum?

Frigida sic mutas calidis, humentia siccis?

Fide, *Pudor*, nivibus ne nimis ipse tuis.

Currum Idalium comitantur, & circumvolant, *Risus*, *Iocis*, *Cupidines*. Nam plerumque sub specie amicitie ac hilaritatis, fit transitus ad verba prætextata; hinc ad impudicos tactus, & quæ deinde sequuntur. *Mercurius* quoque ei & *Gratia* adduntur: nam formæ & lingue gratia nihil non impetrat & eblanditur. Certè cum *Venus* pomum à *Paride* esset captura, *Hymenaum* & *Cupidinem*, & *Amores*, & *Gratias* jussit advocari, teste *Pausania*.

II. (b) Porro dea hæc pomum seu malum manu præfert: nam qui *Amores* pingunt, lustrare eos malis, & inter arbores malos lascivire, poma decerpere, abrodere, jactare confingunt. Hinc *Dametas* apud *Virg.* *Eclog.* 3.

----- Malo me *Galatea* petit, lasciva puella.

Mala

(b) *Veneris* poma.

Mala esse inter illicia & Symbola Veneris, notum ex Poëtis: unde juxta adagium, malis se petere dicuntur amantes. Mala Hippomeni Venus elargitur, quibus Atalantam, diu victricis pudicitia Virginem in amores suos pertraxit. Ovid. 10. Metam. Malo Cydippen Acontius venatus est. Erat illa, generis pariter & formæ nobilitate insignis puella, cujus amore captus Acontius, cum repulsam metueret, quod neque genere, neque opibus par esset, ad dolum confugit, pomumque ad pedes ejus devolvit, (alii in sinum ejus coniecisse referunt) versibus hæc inscriptum.

Juro tibi sanctæ per mystica sacra Dianæ,
Me tibi venturam comitem, sponsamque futuram.

Hoc itaque pomum cum puella incauta sustulisset, versusque in eo descriptos legisset, fidem suam amanti imprudens adstrinxit, & illi nubere, morbo etiam à diis immisso, coacta est.

Et missum sponsi furtivo munere malum, memorat Catullus, quod adventu matris excussum, è castæ Virginis gremio profilierit. Hic monitum illud valet:

----- nimium ne crede colori,
Ille color vermem, quem tegit, intus habet.
Vesceris? ah pransos pestis populabitur artus,
Oréque deluso dira venena trahes.

Poma manu prensare cave, tetigisse, perisse est.
Tangere sed nimium est: tangere velle, nocet.

III (c) Venus coronam gerit in capite (Plinius lib. 8. c. 7. Plutarchus in Pompeio) nempe post pugnam victrix. Pugnat siquidem *Pulchritudo*, semper invicta. Sed quò pacto? planè mirabili. Pugnat videlicet in otio, vincit in pace, triumphat oculis, tacendo tonat, aspectu fulgurat, & uno, non dicam, impetu, sed intuitu pectus invadit, expugnat animum, & sibi tributarium facit. Quid? quod sine voce loquitur, sine vi vim affert, sine catenis allicit, sine præstigiis immutat mentem, & vidisse vicisse est; & visam esse, triumphasse. Illam propterea videre noluit *Augustus in Cleopatra*, ne caperetur, & Victor Orbis, vinceretur à femina. Itaque agenti causam & multis verbis peroranti, aures aperuit quidem, sed clausit oculos. Ad hanc rem Petrarca, Amor, inquit, est latens ignis, gratum vulnus, sanidum venenum, dulcis amaritudo, delectabilis morbus, jucundum supplicium, blanda mors.

(c) *Pulchritudinis potentia.*

IV. (d) Myrto

IV. (d) Myrto etiam (arbuscula perpetuò virente & suavissimi Odoris) redimitur, ob singularem frondium gratiam, Venus. Duratio tamen delicatæ arbusculæ brevis est; & ideò corona illius in funeribus quoque exhibita.

Noti versiculi:

Vina, lavacra, Venus mortalia corpora frangunt:

Et citiùs Ditis tartara adire jubent.

Floreis quoque corollis decoratur Acidalia dea. Ut ex iis intelligas, oris Venustate nihil esse vanius: quippe quæ, floris instar, tenui livescit afflatu, casùque levissimo defluit, & momento citiùs contabescit. (e) Propterea etiam speculum gerit; ut, vitrum quoties pulchritudo confulit, firmiter possit de fragilitate sua, plùs quàm vitreà, iudicium ferre. Ad hæc fugacitas Voluptatis denotatur.

Momenta sunt Libidinum,

Momenta Gratiarum.

Pennata plaudunt Gaudia,

Quæ tangis, avolabunt.

(f) *Rosa* Symbolum est Voluptatis spinosæ, & evanidæ. Propterea juvenes illi lascivi festinabant frui cupitis illecebris, sese adhortantes: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant.* Sap. 2. Non ignari, post brevem vitæ, ac voluptatis usuram, nihil superesse, quàm cruciabilem æternitatem. Flores enim, juxta Isidorum, dicuntur quasi *fluores*, quòd citò decidant, & solvantur. Et *Rosa* (Græcè *ῥόδον*) à *ῥοή*, id est, fluxus, seu fluens odor. De *Cleopatra* memoratur, eam in luxuriosissimo suo convivio expendisse in rosas talentum, hoc est, 6000. Coronat. Francic. eum per omnia discumbentium triclinia foliorum passim acerui, cubiti mensurâ, pavimentis undequaque extarent. Et *Sardanapalus* ille luxu perditus, tanquam non satis molles essent plumæ, rosis indormisse legitur. Hoc strato Venus recubat. Rosam principio candidam fuisse Poëtæ canunt. Sed cum amorum mater eam delicato nimis vestigio calcaret imprudens, pede scilicet à spina rosæ vulnerato, purpurascere cœpit. Candida est Virginitas, & contra hostem spinis armata: unicus eam mollior contactus foedat ac contaminat; unde violatus pudor meritò rubescat. Rosa spinis undique circumdata indicat, Voluptatem multis esse doloribus circumseptam, juxta adagium: *Gutta mellis, Cadus fellis.* Sape cum Demosthene, cuius, ad flagitium à Laide meretrice magno pretio invitati, vox fuit: *pœnitere tantí non emo.*

Xxx

V. (g)

(d) Veneris corolla. (e) Speculum. (f) Rosa.

V. (g) *Baltheus* quoque *Veneris*, seu *Cingulum*, aut *Cestus* deliciosus erat ac insidiosus: quippe multa varietate pictus, in quo, juxta *Homerum Iliad. 5.* *Suavitas*, & dulcia *Colloquia*, & *Benevolentia*, & *Blanditia*, *Suasiones*, *Fraudes*, *Veneficia* includebantur. His enim artibus grafsatur impurus amor ad perdendos eos, qui, cum ipsi dissoluti sint *Veneris pulli*, etiam alienæ pudicitia, seuerius cinctæ, solvunt *Zonam*. Illæ quoque *juvenculæ* (quod adagio fertur) *cestum habere* dicuntur *Veneris*, quæ quibuslibet gratiarum oblectamentis amores sibi (etiam *vetitos*) conciliare student. *Vetulæ* verò *cesto Veneris indigere* dicuntur, quæ vel muneribus, vel *pharmacis*, aut *fucis amatoris*, dilapsam formam revocare, atque ad alios commendare laborant. Latinis *incestus* dicitur, qui flagitiosè solvit *cingulum*, *justarum* & *legitimarum nuptiarum* Insigne.

VI. (h) *Philostratus* author est, *Venerem* in antro molliter *infratris floribus* recubare, juxta quam *fontis irriguus vitrea* perspicuus claritate profilit. Ibi *amatoriam* *videri supellectilem*, *pyxidas*, *pectines*, *specula*, *Cymbala*, *variæque amœnitatum* & *illecebrarum illectamenta*. Atque hæc sunt illa *crepundia*, quæ *magnorum etiam virorum* emolliunt, & *pervertunt pectora*. Cognomen inde *Veneris* apud *Romanos veteres*, ut *Verticordia* appellaretur. Atque hæc est illa *Dea*, quæ *Martem ipsum*, cunctis *terribilem*, *blanditiis suis pellexit*, & *decepit*. *Deprehensos in scelere* *Jupiter reti implicavit*, & *Soli*, cæterisque *Divis* videndos exposuit. Adeò *nullum flagitium est tam occultum*, quod *superos lateat*, & *non tandem etiam hominibus pateat*. *Secetur licet umbras & antra*, & *occulta furta* *Venus*; *protrahentur in lucem*, & *clandestinæ turpitudinis ignominiam palàm subibunt*, in illa certè *valle*, cuius *umbras discutiet & dissipabit decretorius*, *universalis judicii dies*.

VII. (i) Post *Martem* *blandimentis irretitum etiam adolescentulis* *insidiatur hæc dolosa venatrix*. De *Adonide* referunt *fabulæ*, eum ob *formæ elegantiam* *Veneri* in *deliciis fuisse*; *venantem in Idalio nemore* (ei *Divæ* *lacro*) *ab apro occisum & laceratum*; *Extinctum*, à *Dea defletum*, & *ad doloris lenimen in florem adonium*, *purpurei coloris*, esse *commutatum*; eique *annua festa (Adonia)* instituta, quæ *multo cum planctu celebrabantur*: ut *Veneris luctus* *iis repræsentaretur*. De his *Ezechiel c. 8.* *Et introduxit me (genius cælestis) per ostium porta Domus Domini (Templi Solymæi): & ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.* *Prò nefas!* ergo *matronæ Hebrææ*, veri *Numinis cognitione imbutæ*, *detestanda Veneris sacra colunt?* Et *quid?* *plangunt amasium propudiosè*

(g) *Baltheus seu Cestus*, (h) *Veneris supellex & antrum*. (i) *Veneris delictum Adonis.*

pudiva dea? Cur? ut eam reddant propitiam sibi? an quidquam execrabilius in gente tam sancta, & à Deo peculiariter electa? in sexu, quem verecundiam docet natura, quem insita pietas in castæ religionis inclinat studium? Nempe ab apro occisus est Adonis, etiamnum puer. Licet hic illud è SS. litteris usurpare: *fera pessima devoravit eum.* Gen. 37. Nam quæ bellua crudelior, quàm dira libido? uno quæ morfu perimit innocentiam, & indolem cælo natam transmittit in fauces Tartari. Cave nemus Idalium, quisquis cautum saluti voles, adolescens. Tot Venus in te immittit apros, quot pravos tibi adsciscis socios. Apris fulmen est in dentibus, perniciosis congerronibus in lingua. Deplorata non redit Castitas.

Pingitur Adonis, ait Macrobius l. 1. Sat. capite obnupto, specie tristi, faciem manû læva intra amictum sustinens, lacrymæ visione conspicientium manare creduntur. Nempe Dolor nascitur ex Voluptate; quæ, cum initio sit mellea, acescit ad extremum: quodque ait M. Tullius pro Cælio: Amores & deliciae maturè & celeriter deflorescunt, & in omnibus rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est. Id quod de Hypani fluvio memorat Herodotus lib. 4. eam ab initio dulcem fluere, deinde valde amarum effici. De amore Poëta multa paucis.

Spes incerta, timor constans, fugitiva Voluptas,
Gaudia mœsta, dolor dulcis, amarus amor.

Et alius:

Libertas carcer, pax pugna, dolenda Voluptas,
Spes metus est, fel mel, seria ludus amor.

Nec immeritò Adonis in florem cognominem, seu *Anemonem* eiusdem cum sanguine coloris, conversus fingitur: qui, ut inquit Plinius, nunquam se aperit, nisi vento spirante, unde & nomen accepit. *ἀνεμος* enim ventus dicitur. Forma flos brevis ævi; bonum fragile, anceps, fugax.

Immodicis brevis est ætas, & rara senectus. Martial. lib. 6.
In anemonem itaque mutatur Adonis, cuius florem, ut & rosæ:
Una dies aperit, conficit una dies.

Et cuius formæ (aut voluptatis) ventus quilibet spoliū aufert.

VIII. (k) Inter alia de laudibus præclaræ huius deæ hoc Ambrosius lib. 1. de Cain. c. 4. Illic (ubi Venus habitat) comessantium tumultus, concertantium clamor, litigantium cædes, concentus canentium,

X x x 2

fal-

(k) Veneris familia.

faltantium strepitus, ridentium cachinnus, lascivientium plausus, confusa omnia. Et cap. 5. Sævus criminum stimulus Libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum. Nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, à negotio abducit, aufert consilium, amantes inquietat, lapsos inclinat, castis insidiatur, potiundo inflammat, ubique accenditur. Caverent sibi ab hac meretricula Juvenes, si monentem audirent Comicum.

Id verò est, quòd mihi puto palmarium
 Me reperisse, quo modo adolescentulus
 Meretricum ingenia & mores posset nôsse:
 Mature ut cum cognòrit, perpetuò oderit.
 Quæ dum foris sunt, nihil videtur mundius,
 Nec magis compositum quicquam, nec magis elegans;
 Quæ cum amatore suo cum cœnant, liguriunt.
 Harum videre illuviem, sordes, inopiam,
 Quàm inhonestæ solæ sint domi, atque avidæ cibi,
 Quo pacto ex jure hesterno panem ærum vorent:
 Nôsse omnia hæc, salus est adolescentulis.

Terentius in Eunuch.

In Venerem, Cupidinem sinu foventem, sic quidam:
 Deciduum alternis reparat quid foetibus Orbem?
 Fertilis hæc cœlo nata favente Venus.
 Quid mentem, virésque virùm funestiùs haurit?
 Hæc eadem pelago nata furente Venus.
 Quid Venus est igitur? lethalis vita, venenum
 Mulcens, mors Venus est blanda, jocúsque nocens.



SYM-